Jhesus est ad columpnam ligatus et flagellatus




Capitulum XX

In precedenti capitulo audivimus quomodo xpistus fuit velatus
Consequenter audiamus quomodo fuit ad columpnam ligatus
Cumque tota notte habuissent ipsum in derisum
Mane facto duxerunt eum ad pylati iudicium
Cumque pylatus de accusacione ipsum quereret
Dixerunt quod malefactor et seductor populi esset
Et seduxisset omnem populum non solum in iudea
Sed eciam in patria sua que est in galylea
Audiens autem pylatus quod homo gallyleus esset
Misit eum ad herodem quia ad iudicium eius pertinebat
In illa die pylatus et herodes facti sunt amici
Sed antea fuerunt ad invicem inimici
Herodes xpistum non viderat sed multa de eo audierat
Et ideo de adventu ipsius multum gaudebat
Magnum enim eum nigromanticum existimabat
Et aliqua miraculosa signa ab eo videre affectabat
Cumque herodes eum de multis interrogaret
Ipse subticuit ita quod nullum responsum daret
Videns herodes estimabat eum non sanum
Et illudens ei per derisum alba veste induit eum

http://dl.ub.uni-freiburg.de/diglit/speculum1436/0109
© Universitätsbibliothek Freiburg
gefördert durch
Baden-Württemberg